TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

DIABETE MELLITO SIMPLICE;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER JOANNES ROBERTSON,

Scotus,

SOC. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

Die prima Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiae Typographus.

MDCCCXX.

PATRUO SUO DILECTISSIMO

JACOBO ROBERTSON, M. D.

DE

INVERNESS;

PROPTER AMORIS FERE PATERNI SIGNA,

ET BENEFICIA A PUERITIA HUCUSQUE

COLLATA;

HASCE STUDIORUM SUORUM

PRIMITIAS,

IN TESTIMONIUM ANIMI

HAUD INGRATI

D. D. C.QUE

AUCTOR.

To

Alexr. Inglis Robertson Esqr.

from his affectionate Cousin

the Author

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

DIABETE MELLITO SIMPLICE.

AUCTORE A. J. ROBERTSON.

INTER varia nosologiae systemata a medicis proposita, nullum utiliùs mihi videtur, quàm illa divisio hodie usurpata a viro clarissimo Pinel,* qui praeter morborum, in classes, genera ac species, distributionem, utramque speciem in Simplicem atque Complicatam iterum dividit. Et haec divisio Diabeti Mellito aptissima videtur, quoniam Diabetes cum aliis morbis tam proclivis est sese conjungere, vel alia vitia excitare, et morbi symptomata sim-

* Nosographie Philosophique, par Ph. Pinel. Paris, 1813.

plicis ab iis morbi comitantis fere semper occultantur, adeo ut ultrà vim medicamentorum priusquàm observentur, haud rarò pervenerint. Exemplum autem singulare Diabetae Simplicis a Doctore Duncan, juniore, in nosocomio nostro regio curatum observare mihi occasio oblata fuit, in quo nulla aliûs morbi symptomata extiterunt.

De specie simplice solummodo jam mihi in animo est tractare.

Observationes meas de Diabete Mellito in capita sequentia dividere statui:

I. De Definitione.
II. De Signis Praeeuntibus.
III. De Indiciis.
IV. De Urina ac Sanguine Diabeticorum.
V. De Causis,
  a. Praedisponentibus,
  b. Excitantibus.
VI. De Causa Proxima.
VII. De Diagnosi.
VIII. De Prognosi.
IX. De Cadaverum Incisione. Et,
X. De Medendi Consiliis.

Cap. I.—DE DEFINITIONE.

In nosologiae systemate Culleni insignis in classe Neurosium, et ordine Spasmorum Diabetes enumeratur, et ita definitur :—" Urinae plerumque praeternaturalis copia immodica, profusio chronica ;" et in duas species hoc genus dividit, nempe, in mellitum ac insipidum :—" Diabetes (Mellitus) cum urina odoris, coloris, et saporis mellei."

In hac definitione neque sitis, neque appetitus notabilis, neque etiam cutis status memoratur, quamvis symptomata haec vix aut ne vix quidem unquam desunt.

Doctor Franciscus Home definitionem sequentem proposuit :—" Urina aucta, subdulcis, cutis arida et plerumque squamosa."*

Sed objectiones eaedem, cutis statu excepto, huic definitioni obstare possunt. Defectus, quos suprà notavi, definitione Doctoris Rollo compensantur, quâ morbus dicitur esse :—" Desiderium cibi inexplebile ; sitis perpetua ; urina aucta et subdulcis ; pulsus

---

* Home's Clinical Experiments and Histories, p. 320.

frequens; calor parum auctus; cutis arida, cum marcore."*

Cap. II.—DE SIGNIS PRAEEUNTIBUS.

Diabetes tam pedetentim invadit ut signa ejus praecursoria gradusve nascens rarò apud medicos notentur. " La regularité apparente" aiunt Nicholas et Guedeville, " des fonctions animales qui existe sans l'invasion de la maladie, et l'insouciance naturel, aux temperamens musculeux, out jété la plus grande obscurité sur les signes precurseurs de la phthisurie. Ceux qui doivent en etre attaqués eprouvent la meme sorte de bien etrê qui accompagne la parfaite santé."† " Diuturna est hujus morbi creatio, et longo tempore parturitur."‡

Signa quae hunc morbum praeeunt, et quae stadium ejus incipiens constituunt, nusquam verbis aptioribus delineantur quàm in opere Aretaei jam citato. Cum futurus est," inquit,

---

* Rollo on Diabetes.

† Annales de Chimie, tome xliv. p. 47.

‡ Aretaeus de Morbis Diuturnis, lib. ii. p. 51.

"os humore privatur, saliva est albida, spumans perinde atque in siti; nondum tamen insitiunt, praecordia gravia sunt; calorem aut frigus a ventre in vesicam tendere sentiunt, prout adventantis morbi processus est; paulò plus lotii quàm moris erat effunditur; sitis adest, sed nondum vehemens." *

Cap. III.—DE INDICIIS.

Quamvis signa Diabetis praeeuntia in tenebris celantur, tamen "cum morbus iste jam perfectus est facile eum omnes deprehendunt."†

Debilitatis oppressionisque sensus, ac somnus perturbatus inter prima aegrotantis indicia saepe notantur. Paulò postea sitis ac appetitus augescunt, cutis fit arida, caloris in abdomine sensus, parum acuti, sed quasi viscera rodentis, dum crura contrà debilitate et frigore afficiuntur. Lumborum dolor sub motu vel exercitatione praesertim auctus, et ponderis sensus circa renes saepe sentiuntur;

---

* Aretaeus de Morb. Diuturn. l. c.

† Aretaeus, l. c.

urina aliquando dolore reddita, quantitate augetur, et qualitate maxime vitiatur, a fluido flavo, forte olfactorium imprimente, ad liquorem penè inodoratum limpidum persimilemque sero lactis mutatur. In hoc morbi stadio sudores partiales aliquando erumpunt, sed in extremitatibus inferioribus vix unquam percipiuntur; progrediente morbo, capitis dolor sentitur, appetitus, sitisque magnopere augentur, ac penè insatiabilis; alvus adstringitur, et faeces durae, albidae, interdumque virides notantur, et quamvis diarrhoea in diabete rarò occurrere solet, tamen in exemplo singulare memini me eam vidisse;* noctes inquietae, somnus insomniis horridis perturbatur; moestus fit, atque vitae eum taedet; celeriterque emarcescit; omnibus malis ingravescentibus anxietas circa praecordia atque flatus in intestinis aegrotum infelicem valde vexant. Cursu hujus morbi gingivae haud rarò tumore ac aliquando dolore afficiuntur.

Secretiones et excretiones multùm mutantur; saliva spissa et viscosa redditur; succi

---

* In Nosocomio Regio Edinensi, sub cura Doctoris Home, an. 1820.

gastrici et pancreatici quoque vitiantur, etenim in quibusdam exemplis, cibus in ventriculum receptus, et ibi diu retentus, sine multa mutatione sub emeticorum actione vel sponte sua ejicitur; perspiratio sensibilis omnino suppressa est, atque cutis aridissima ac squamosa evadit; urina frequenter et copiosissimè redditur, aliquando usque ad sextarios quadraginta vel septuaginta in spatio viginti quatuor circiter horarum provenit, et generaliter cibos omnes eodem tempore ingestos multùm superat. Circa urethrae orificium exulceratio nonnunquam observatur;* omne quoque desiderium sexuale aliquando amitti dicitur:—"Si ad medicandam hanc passionem non festinetur, infirmis nimium maceratur, et corpore consumitur, venter constipatur, citò periclitatur."†

Morbo versus finem progrediente, oris, fauciumque siccitas, debilitas, marcor, aliaque symptomata ingravescunt; oedemate

---

* Cases of Consumption, Diabetes, &c. with observations, by R. Watt, M. D. p. 159.

† Constantinus Africanus de Morbor. Cognit. et Curat. lib. v. p. 119.

circa pedes, febre obscura ferè hectica afficiuntur. Caligo*, tarsae exulceratio† in morbi hujus cursu interdum occurrunt; vertigo, pulsus frequens, parvus, debilis ac intermittens, respiratioque difficilis saepè mortem praenunciant; tabescunt, morti denique succumbunt. Sed terminationem ante fatalem urina, ut ab Aretaeo notatur, nonnunquam supprimitur, ac "Potûs insatiabili aviditate, humoris inundatione, ventris distentione, penitûs ac repentè disrupti sunt."

In morbi hujus cursu pulmones tussi sicca et ponderis vel molestiae cujusdam sensu ferè semper afficiuntur; necnon vox propter faucium ariditatem aliquando fit rauca.

Cap. IV.—DE URINA AC SANGUINE DIABETICORUM.

De Urina.—Urina imprimis quantitate maximè augetur, atque interdum sextarii quadraginta etiamve septuaginta per diem profluunt, sed generaliter variat a libris sex

* London Medical and Physical Journal, vol. xliii. p. 25.
† Idem, l. c.

ad sedecim. Dotes ejus tum chemicae tum physicae multùm mutantur. Color flavus, pallidus, ac limpidus, saepe stramineus, subviridis; aliquandò nubeculam tenuem innatantem exhibet, persimilisque sero lactis est. Pelliculâ oleosâ nonnunquam obtegitur, odor laevis, haud ingratus, saepe violaceus; gravitas specifica urinae sanae rarò 1018 excedit, urinae ea diabeticae contrà usque ad 1044 provenit, et in exemplo singulari, quod observationi meae in Nosocomio Edinensi occurrebat, gravitas hujus urinae specifica ad 1057 provenerat. Si in ore pauxillum ejus accipiatur saporem subdulcem, ingratum, nauseosum, leniterque salsum imprimit, quasi mel aut saccharum aquâ liquatum esset; sed qualitates saccharinae a nullo scriptore ante Willisium observatae fuerunt, et nonne mirabile videtur, Aretaeum, qui symptomata hujus mali tam bene depinxerit, qualitates has peculiares notare omisisse? "Quoniam," ut a Willisio observatur, "urina in omnibus (quos unquam me novisse contigit, et credo ita in universis habere) tum a potu ingesto, tum a humore quovis in corpore nostro gigni

solito plurimùm differens, quasi melle aut saccharo imbuta, mirè dulcescebat."*

Observatio ferè similis a Culleno fit: "It is to be doubted, indeed, if there is any case of idiopathic diabetes in which the urine is of a different kind. I myself, indeed, think I have met with one instance of diabetes in which the urine was perfectly insipid. I am persuaded that such instances are very rare, and that the other is by much the more common, and perhaps the almost universal occurrence."†

Si evaporationi cautè ac lentè peractae, urina diabetica subjiciatur, paucos post dies extractum mellis crassitudinis, atque naturae odorisque Theriacae, obtinetur; quod per evaporationem prosequendam crystallos minutos, granosos praebebit. Quantitas hujus extracti non solùm in aegris variis, sed in eodem etiam, temporibus diversis, differt; unciam et dimidiam e librâ urinae singulâ aliquando obtinui, necnon in urina quae nocte

* Willis de Medicament. Operat. in Corp. Human. sect. iv. cap. iii. p. 101.

† Cullen's First Lines, vol. ii. sect. 1507.

mingitur, plus extracti quàm in ea quae postea effunditur, continere invenitur. Sed praeter formationem hujus materiae saccharinae, urina diabetica alias mutationes subit; albumen continet; acidum phosphoricum et sales ammoniaci minore copia formantur; acidum uricum in toto saepè deest; et urea multùm minuitur vel aliquando omnino abest. Urina diabetica facilè in fermentationem abit; et si extractum fermentationi, posteaque distillationi subjiciatur, copia magna liquoris spirituosi obtinetur, et distillatione iterum repetita alcohol ferè purum fit, sed odorem ingratum retinens.

De Sanguine.—De sanguinis, in hoc morbo natura, multùm apud medicos disputatur; et operae pretium est, num ullas qualitates peculiares possideat, inquirere. Dobsonius, qui multùm Diabetae naturam in animo versabatur, saccharum in sanguinis sero inveniri posse, affirmavit; sed ab experimentis Doctoris Hope insignis, in hac academia, artis chemicae professoris, et seriùs medicorum Gallicorum quos supra memoravi, summâ curâ iterum, iterumque peractis, etiamque a meipso

nuper reiteratis, haud minima sacchari particula in ulla sanguinis parte detigi potuit. Certè verò sanguis diabeticus multùm a sanguine sano differt; in sanguine, enim, priore, cruor minimè firmus, coriaceam albam saepè ostendens; et serum ejus aliquandò turbidum simileque sero lactis est.

"Le sang des phthisuriques ne contient point le corps muqueux sucré; la fibrine y est rare, et le serum plus aboudant que dans l'etat sain."*

Cap. V.—DE CAUSIS.

(*a*) De Causis Praedisponentibus.—Quoniam initium hujus morbi in tenebris obruitur, sic causae quae constitutionem ei proclivem reddunt, haud satis notantur; sed apud scriptores plurimos hae sequentes enumerari solent.

Diaeta farinacea vel tenuis simul cum corporis vel animi laboribus magnis; liquorum fermentatorum, cerevesiae vel vini usus, potiusve abusus; haemorrhagiae vel evacuationes

* Annales de Chimie, tom. xliv. p. 69.

profusae; necnon cibi vel potûs vel Veneris intemperantia.

Frequentiùs dicitur occurrere in regionibus frigidis quàm in calidis, praesertim in Scotiae partibus septentrionalibus, ubi monticolae alcohole dilutiore (Scoticè "whisky") liberrimè utuntur.

Nonnulli auctores Diabetem morbum haereditarium vocant, et exempla quaedam enumerant; unum a Reil notatur, in quo septem ex eâdem familiâ Diabete affecti fuere; et Doctor Storer in literis quas Doctori Rollo scripsit, sese tres in familia eadem, diabeticos vidisse, narrat: "A gentleman, his sister, and her daughter." Et probabile mihi videtur, statum esse peculiarem, qui constitutionem ei proclivem reddit, ut in quibusdam aliis morbis observatur, et quem fortasse *Diathesin Diabeticam* vocare liceat.

(*b*) De Causis Excitantibus.—Variae sunt causae, quae Diabetem in constitutione ei obnoxiâ excitant.

Excitari potest a diaeta e plantis farinaceis composita, si liberrimè usurpata; à solani tuberosi, asparagorum, cydoniorumque esu cre-

briore; usu liquorum fermentatorum frequente, praesertim alcoholis vel cerevesiarum fortiorum, necnon a potione vinorum acidorum: "Novi quendam," ait Willisius, "vino Rhenano pro potu ordinario per dies viginti usum, diabetem incurabilem contraxisse; ex qua non obstantibus medicorum plurium insignium consiliis, et remediis quibuscunque intra mensem interibat."*

Experimenta quaedam, quae ad Diabetem inducendum, animalibus ad diaetas varias farinaceas restringendis, tenderunt, a Doctore Krimer de Hallè nuper peracta fuere, et corollaria haec ab illis deduxit:

1*um*. Animalia, quibus farina secalis liberrimè exhibita fuit, inertiâ, simulque humoris muco-purulenti ab oculis eorum profluvio, afficiuntur; atque acidum uricum urinae minuitur, dum contrà albumen, mucusque augentur. Phenomena haec morbida galvanismatis actione modicâ, citò removentur.

2*dum*. Avenarum decocti exhibitio frequentissima nullam actionem morbificam vel in canibus vel in cuniculis induxit. Decoctum,

* Willisius, l. c. p. 105.

verùm contrà farinae triticae urinam multùm auget, eamque alcalinam ac ferè inodoratam reddit, et usu ejus cuniculus bulimiâ affectus fuit.

3tium. In animalibus oryzâ solâ coctâ aliquamdiu pastis, indicia iis similia sunt (sed graviora) quae e secali oriuntur; ex urina acidum uricum in toto abest et urea partim, dum vice eorum copia albuminis magna adest.

4tum. Animalia his symptomatis affecta, galvanismatis actione celeriter sanantur.

Potûs aquosi usus praesertim tepidi Diabetem inducere potest; Boerhaavius hunc morbum in juvene vidit, qui noctes diesque studiis incumbebat, atque somnum Theae et Coffeae potione perpetua arcebat, in Diabetem incidit et denique siti intolerabili expiravit.

Aliquando casus quidam Diabetis ad usum oxymellis uberrimum referuntur. In opere Doctoris Martini Lister exempla duo hujus naturae narrantur; unum miles catarrhosus, "qui syrupo e balsamo capivi liberaliter sumpto, in diabetem incidit;" et alterum "juvenis illustris qui ex potione matutina mellis crudi ex vino Canarino, gravissimo

diabete affectus fuit." Doctor S. Black de Newry casum memoravit, in quo Diabetes Mellitus spatio duodecim circiter horarum post oxymellis acceptionem excitatus fuit.*

Amatus exemplum Diabetis ex esu largo farciminis piperati oriens, vidit. Et Diabetes nonnunquam oritur e suppressione materiae perspirabilis.

Varia febris genera in constitutione ei proclivi, Diabetem excitare possunt, et exempla apud Doctorem Trnka, aliosque medicos nonnulla enumerantur; atque unam post febrem continuam observationi meae obvenit, saltem symptomata diabetica, dum aeger convalescebat, primò notata fuere: "Frequenter autem," ait Trnka, "videtur esse hic Spurius Diabetes febribus exanthematicis quàm aliis praeprimis variolis."† Exemplum pueri variolis confluentibus laborantis, qui, die decimo morbi Diabete cùm siti, aestu, inquietudineque correptus fuit, a Nebilio adducitur: "At verò omnium longè frequentior est Diabetis e febribus intermittentibus procreatio,

---

* Dr S. Black's Clinical Reports.

† Trnka de Diabete, p. 45.

seu dum imperfectè suppressae sunt, seu ubi diuturnae fuere, vel malignae sunt indolis."* Observatio ferè similis fit a Sydenham.

Cap. VI.—DE CAUSA PROXIMA.

Vir praeclarus (Scudamore) qui nuper observationes eruditas de Podagra edidit, causam morborum proximam haud malè igni fatuo comparavit. Quo enim plùs eam consequimur, eò plus investigationem nostram saepè evitat; et haec observatio vix ulli morbo aptior videtur quàm Diabeti Mellito. Cujus natura (quamvis auctores multi insignes eam explicare conati sunt) in tenebris densissimis hucusque obruitur.

Variae sunt theoriae, quae a seculis remotis usque ad tempora nostra de natura hujus mali dirissimi propositae fuerunt. Aretaeus ad totius corporis colloquationem; Galenus ad renum vitium; Constantinus Africanus et Mead ad jecur; et Listerus, F. Home, Cullenus, et Rollo, ad ventriculi affectionem Diabetem retulerunt.

* Trnka de Diabete, p. 47.

Constantini theoria quamvis apud medicos haud multùm notatur, curiosa et ingeniosa mihi videtur, et his verbis narratur: "Passionem Diabetem habent renes ex defectione contentivae virtutis, unde semper nimis infirmi sitiunt, neque aqua possunt saturari. Quam et quantam ut bibunt, similiter eam mingunt, sicut videmus in canino appetitu. Quicquid enim comeditur, cum ferre nequeat, movetur natura et ejicit foras. Similiter cum contentiva in renibus deficiat, non potest retinere quam habet aquosa humiditas, necesse est ergo ad vesicam effluat. Renes verò cùm humiditate exinaniuntur, moventur et aquosa humiditas de venis subtrahitur. Sanguis in venis cum desiccetur, humiditas ab hepate cum appetitiva trahitur virtute et hepar similiter sugit a stomacho." *

Causa Diabetis Melliti proxima in hepate et non in renibus a Doctore Mead existere credita fuit, oriens e bilis mistura vitiata; enim in otiosis qui vini, et liquorum fermentatorum usui multùm indulgent, et qui sitim

---

* Constantinus Africanus de Morbor. Curat. et Cognit. lib. v. cap. xviii. p. 118.

inde ortam potu nimis refrigerante restinguunt, frequentiùs occurrere solet; unde fit ut aqua in humoribus abundet, et sal bilis, cujus ope partes oleosae cum particulis aquosis miscentur, quia copia naturali paucior olei et aquae misturam nequeat integram servare; et plurimùm hujùs aquae cum portione olei tenuiore renes versus urgetur, et urinae Diabeticae virtutes saccharinas praebet. Sed hodie huic opinioni à nullo auctore favetur.

Willisius eum morbum esse sanguinis potius quàm renum existimavit, " quatenus," ait, " cruoris massa velut deliquescit, et in serositatem copiosè nimis funditur:" et in alio loco inquit, " itaque ut Diabetis causam conjunctam, et rationem formalem designare ausim, opinari ducor, sanguinis crasin sive mistionem ita laxari et quadantenus dissolvi, ut particulae aquosae a crassioribus contineri nequeant, quin illae harum amplexibus citò elapsae, et salinis imbutae, per vias renum maximè patentes excurrunt."* Et haec sanguinis laxitas a humoribus quibusdam acidis, qui in cruore reperiri dicuntur, pendere videtur, et

---

* Willis, l. c. p. 101.

qui sanguinem coagulant. Urinae saporem Diabeticae ad sulphuris combinatione cum sanguinis salibus attribuit.

Schatt causam Diabetis proximam ad sanguinem et ad conditionem renum peculiarem refert.

Sed hodie duae solummodo theoriae de hac re attentione dignae existimantur; quarum altera ad vitium ventriculi quoddam refert; altera ad actionem renum vitiatam. Atque ad eas meipsum cohibebo.

Listerus scriptor fuit primus qui Diabetem morbum esse ventriculi existimaverit; postquam enim opiniones medicorum in animo diligenter agitaverat, ait, " morbi primaria sedes stomachus est, et intestina tenuia." * Hancque sententiam argumentis ingeniosissimis defendit. Cullenus decus ac gloria scientiae medicae, ad assimilationis defectum eum retulit, et ait: " I think it probable, that in most cases the proximate cause of this disease, is some fault in the assimilating powers, or in those employed in converting

---

* Doctoris Martin Lister de quibusdam Morbis Chronicis, Tract ii. sect. 1.

alimentary matters into the proper animal fluids." *

Doctores Franciscus Home et Dobson ferè eidem opinioni favent. Versus finem seculi praeteriti Doctor Rollo observationes de Diabetis natura, curationeque edidit. Sententiâ ejus causa proxima in ventriculi conditione quadam morbida, et materiae saccharinae diffusione generali, probabiliter cum fluidorum vitio consistere videtur. Hujus conditionis natura morbidae videtur esse actio ventriculi aucta, immodica, cum succi secretione gastrici nimis copiosa, aliquandoque vitiata, undè saccharum gignitur. Bulimia ac esuries continua actionis hujus auctae indicia existimantur; hancque opinionem a successu ejus methodi medendi confirmatam opinatur; succi gastrici quantitatem augeri, et qualitatem ejus vitiari, ex ciborum concoctionis natura et celeritate; necnon ex copia magna materiae viscidae sub emeticorum actione evomitae, deducit; atque oris gustu peculiari, " mawkisk, sourish, and sweetish," idem indicatur. Urinae incrementum, ad formationem sac-

---

* Cullen's First Lines of the Practice of Physic, sect. 1512.

chari renes stimulantem aequè ac ad consensum inter ventriculum renesque existentem, a Rollo refertur.

Sed theoria hujus viri insignis imperfecta mihi videtur; quomodo enim saccharum, quod in ventriculo formari dicitur, ad renes proveniat, haud ab ea ostenditur. Si ut Dobsonius affirmavit in sanguine detigi posset, transitus ejus a ventriculo ad renes facilè explicare posset; sed ab experimentis recentioribus Doctoris Hope, chemiae in hâc almâ academiâ professoris, et medicorum Gallicorum, Nicholas et Guedeville, ut antea memoravi, satis constare videtur saccharum nullum in sanguine Diabetico existere. Huic verò objectioni obstat, multas res, quae in sanguine non reperiuntur, in urinam a ventriculo transire; exempli gratiâ. Si Prussias potassae in dosibus parvis homini exhiberetur, in urina indicaretur, dum in sanguinis sero indicari nequeat. A tentaminibus Doctoris Krimer, in quibus Diabetem Mellitum ope artis animalibus induxit, syrupo extracti urinae Diabeticae vel in venas, vel in *ventriculum* injiciendo, aequè in sanguine ac in urina eorum virtutes saccharinas invenit. Unde summo jure

deducere fas sit; si in ventriculo Diabetici, materia saccharina formetur, in sanguine aequè ac in urina inveniri debere. Et praeterea ventriculi affectiones haud raro vitia renum comitantur.

Theoria altera de natura hujus mali dirissimi ad renum vitium quoddam refert, et olim a Galeno proposita fuit.

Sententiâ Doctoris Trnka causa Diabetis proxima in stimulo renum peculiari ponitur, quo renes non solùm "potulenta ac humores animales," sed etiam "humidum atmospherae" solicitèr sibi alliciant; et stimulum nonnullum in renibus existere, a morbi phaenomenis, a causis excitantibus, necnon a remediis, quae eum curando usurpantur deducit.

Viri Gallici eruditi Depuytren et Thenard opinioni ferè huic simili favent, et sedem Diabetis primariam in renibus positam esse opinantur, aiunt enim: "La siège de cette affection paroit etrê dans les reins, et non dans le canal intestinal."* Sententiâ eorum ap-

* Annales de Chimie, tom. lix. p. 44.

petitûs sitisque augmen, nullam huic theoriae objectionem praebet, nam cum reparationis necessitate solummodo connectitur. Omnia, quae in Diabetici ventriculum accipiantur, eandem mutationem ac in hominis ventriculo sani subire apparent. Ventriculi actionem simpliciter auctam sed non vitiatam existimant. Ciborum quantitas, ab iis accepta, concoctionis celeritas, et absorptio magna partium nutrientium, (quia faeces parcè excernuntur,) hujus actionis auctae indicia sunt. Postea his de sede primariâ praepositis, proximò ad causam tendunt. "La cause de cette affection paroît être dans une exaltation avec perversion des reins." * Et huic renum vitio sacchari formationem attribuunt.

De quibus suprà dictis animus fert cum iis consentire qui morbum ad actionem renum morbidam referunt; et quoniam, ut ait Doctor S. Black de Newry, a sanguine sales in urina repertos (quamvis in eo plurimi non existunt) secernendi potestatem habent, nonne probabile est mutatis mutandis saccharum vice ureae secernere?

---

* Annales de Chimie, l. c.

In Diabete Mellito pulmones ferè semper citiùs aut seriùs afficiantur, cum tussi generaliter sicca sed aliquando humida, et molestiae sensu in thorace; in omnibus verò theoriis de natura hujus morbi, nunquam adhuc explicatum fuit, cur respirationis organa adeò frequenter his symptomatis afficiantur. Ad hanc rem investigandam ipse aërem e Diabetici pulmonibus expiratum examini subjeci, quo apparuit acidum carbonicum minore copià formatum esse, contrà nitrogenium majore copiâ existere, quàm moris erat in sanitate.

Si haec experimenta confirmentur, nonne verisimile erit, affectiones pulmonum ab actione sua vitiata pendere?

Cap. VII.—DE DIAGNOSI.

Phaenomena quae in hoc morbo ferè semper apparent, adeò singularia sunt, ut omnes Diabetem facilè distinguere possint. Qualitas ac quantitas urinae; esuries sitisque inordinatae; cutis arida, squamosa, et aliquando aspera; caloris in abdomine sensus; atque sensus peculiaris in thoracis renumque regionibus, Diabetis naturam satis planè indicant.

Cap. VIII.—DE PROGNOSI.

Medicos apud antiquos, in Diabete prognosis ferè semper infausta habebatur, et Cullenus insignis ab experientia sua morbum fatalem esse denunciat. Medici verò hodierni haud raró eum curavisse videntur. Quum sitis, atque cibi desiderium vehemens decrescunt; cutis ad functiones naturales revertitur et tactui fit plana; urina minùs frequenter et minore copiâ redditur, colorem, saporem, odoremque solitum recuperans; sed praesertim si vires tum corporis tum animi aegro adhuc debilitato et depresso redire incipiunt; terminatio morbi fausta speranda est.

At cum marcor, aliaque signa ingravescunt, et phthisis pulmonalis cum febris symptomatis hecticae, observantur; necnon si visio imminuta sit, prognosis infausta habetur. In omnibus verò casibus summa prudentia danda est.

Cap. IX.—DE CADAVERUM INCISIONE.

Phaenomena, quae post mortem in Cadaverum Incisionibus observantur, tam varia atque diversa sunt, ut, rem in tenebris adeo obrutam potiùs obscurare magis quàm elucidare juvent. Et mutationem morbidam, quam alii scriptores morbi effectum, alii contrà eam causam appellârunt.

In quibusdam exemplis renes praeter naturam molles, magni, etiamque rubicundi inveniuntur. Ureteres dilatati aliquando pus continentes ; vesica urinaria modo amplificata, modo diminuta cum tunicis condensatis, reperiuntur. Lien, pancreas ac ventriculus praesertim circa orificium pyloricum, inflammationis notas saepe ostendunt. Doctor Mead, in omnibus ferè exemplis, quae observationi ejus obvenerunt, hepar steatomate affectum fuisse, affirmavit. Sed Cullenus, se, nunquam exemplum, in quo hepar affectum fuit, vidisse dixit. Adeps tum abdominis, tum thoracis aliquando omnino evanuit, materiâ gelatinosâ superstite ; dum contrà in

aliis exemplis magna copia deposita est.* Glandulae mesentericae nonnunquam tumifactae, durae, mollesve observantur, et calculi in glandulis circa thymi regionem reperti fuisse dicuntur.† Cerebrum et nervi ipsi aliquando actionem morbosam saepe participant, et pulmones in omnibus ferè casibus vomicis, et etiam exulcerationibus afficiuntur. In plerisque verò incisionibus cadaverum Diabeticorum, vix ullum morbi vestigium detegi potest.

Cap. X.—DE MEDENDI CONSILIIS.

Varia medicamenta cum variis consiliis in Diabetis curatione laudata fuere, tonica, adstringentia, sudorifica, et balneum tepidum apud antiquos usurpata fuere: sed ad ea solummodo, quae hodie medicos inter se dividunt, meipsum cohibebo.

1*mo*. De Diaeta Animali.—Doctor F. Home diaetam animalem in Diabete medendo

---

* Med. and Surg. Journal, vol. i.

† Idem, l. c.

primus consiliavit, et à Doctore Rollo, aliisque medicis beneficium ejus valdè ostenditur.

Quoniam saccharum Diabeticum in ventriculo formari a Doctore Rollo putatum fuit, prima ejus indicatio ad sacchari formationem ibi praecavendam, tendebat; hoc consilio Diabeticos ad diaetam e carnibus, praesertim diutiùs conservatis, ac adipe onustis, omninò compositam restrinxit; necnon ab omni genere frugum, liquorum fermentatorum, acidorumque vegetabilium cautè abstinere admonuit. Hoc modo actionem ventriculi immodicam, atque secretionem succi gastrici auctam minutum iri existimavit. Pari consilio, potassae sulphuretum, et ammoniae hydrosulphuretum diaetam animalem adjuvare, dosibus parvis usurpavit; sed in hydrosulphureto ammoniae exhibendo, cavendum est ne stupor aut vertigo inducaretur. Alvo, in Diabeti, plerumque adstrictâ, cathartica leniora, (qualia sunt oleum ricini, salesque neutri) frequenter exhiberi debent, et exulceratio parva suprà renum regionem formare utile sit. Ad sitim mitigandam aqua calcis lacte commista dari debet.

Quum saccharum in urina Diabetica for-

mari desinit, ad usum vegetabilium aegri cautè redire debent, quia ventriculum et intestina saepe inertia fiunt, atque causae levissimae in iis inflammationem haud rarò inducunt.

Methodus, quam jam explicare conatus sum, a variis medicis, saepe cum successu tentata fuit, praecipuè a viris eximiis Gallicis Dupuytren et Thenard, qui aiunt: " Que le traitement conseillé par Rollo, employé ensuite avec tant de succés par nos compatriotes Nicholas et Guedeville, et qui existe surtout dans un regime pûrement animal, a le même dégré de l'efficacité que le quinquina dans les fièvres intermittantes." * Et praeterea casus plurimi a Doctore Bardsley memorantur, qui utilitatem ejus satis comprobant. Et in exemplis Diabeti ferè omnibus, quae observationi meae obvenerunt, dum aegri diaetâ animali usi sunt, urinae dulcedo multùm minuta fuit; et vires tum corporis tum animi augerunt.

2*do*, De Venaesectione.—In variis morbis chronicis sed praesertim in Diabete Mellito,

* Annales de Chemie, tome lix. p. 45.

venaesectio nuper cum multo beneficio usurpata fuit; et quamvis in constitutionibus summa debilitate affectis, venaesectio, remedium periculosum judicetur, tamen casus nonnulli a Doctore Watt, aliisque medicis editi, usum ejus non solùm tutum sed utilissimum probant.

In omnibus ferè exemplis, quae sub curam ejus venerunt, venaesectio liberrimè usurpata fuit; in casu secundo (Stevenson) unciae 108 sanguinis intra dies quatuordecim elicitae fuere, et in verbis Doctoris Watt: "He experienced relief in his feelings every time, and even during that profuse evacuation gained strength." * Diaetam omninò e carnibus compositam, ammoniae carbonatem, vinumque tartratis antimonii ad cutem stimulandam, una cum venaesectione adhibuit. Doctor Satterley methodum huic similem pari successu in exemplis nonnullis tentavit. † Et in casu uno, quem ipse vidi, post singulas evacuationes materiae quantitas saccharinae, in urina diminuta fuit.

---

* Watt's Cases of Diabetes, &c. p. 56.

† Transactions of the Royal College of Physicians of London, vol. v.

3tio. De Opio.—In casibus nonnullis a Doctore Warren* et a Doctore S. Black,† Opium cum multo beneficio exhibitum fuit. Effectus verò opii maximè augetur, si cum Ipecacuanha vel Kino conjungatur. In casibus a medicis jam dictis, symptomata Diabetica omninò evanuerunt, et aegri citò convaluerunt; sed in omnibus diaetâ animali et in quibusdam missione sanguinis usi sunt. Varia alia medicamenta diverso successu ad Diabetem removendum tentata fuere. Hydrargyrus, uva ursi, cinchona, tonica ac adstringentia cum balneo tepido; et si unà cum remediis fortioribus usurpentur, multùm ea adjuvabunt.

In experimentis Doctoris Krimer, quae supra memoravi, postquam Diabetem in animalibus excitaverat, eum removeri posse actione Galvanismatis modica, invenit, unde verisimile apparet Diabetem in homine etiam, actione hujus remedii sanatum iri.

---

* Transactions of the College of Physicians of London, vol. iv.

† Black's Clinical Reports.

Excudebat C. Stewart.